DISSERTATIONE MEDICA INAUGURALI

# ΕΥΘΥΩΡΙΑΝ

SIVE

# RECTITUDINEM PARTIUM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

DOMINO

## VVILHELMO HENRICO

DUCE SAXONIÆ IULIACI CLIVIÆ MONTIUM
ANGARIÆ WESTPHALIÆ ET RELIQUA

*PRAESIDE*

## IO. HADRIANO SLEVOGTIO

HEREDITARIO in Ober-Roßla
MEDICINÆ DOCTORE ANATOMIÆ CHIRURGIÆ AC BOTANICES PROFESSORE
PUBL. ITEMQVE MEDICO DUC. PROVINC. ILLUSTR. FACULTAT.
MEDICÆ H. T. DECANO,

*PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO PLURIMUM VENERANDO*

*PRO DOCTORIS GRADU*

INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS

*MORE MAIORUM RITE CONSEQVENDIS*

PUBLICÆ PHILIATRORVM DISQVISITIONI SUBMITTIT

*AUCTOR RESPONDENS*

## IOANNES CHRISTOPHORUS RHIEMIUS

HILPERHUSA-FRANC.

*AD D. XXIII. SEPTEMBR. A. R. S. MDCCXIX.*

LOCO HORISQUE ANTE- ET POMERIDIANIS CONSVETIS.

---

*IENAE*
LITERIS VVERTHERIANIS.

VIRIS

*ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS,*

*PRÆNOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS ATQVE EXPERTISSIMIS,*

DN. IOANNI ADOLPHO WEDELIO,

Philoſ. & Medic. Doct. Theoretices Profeſſ. Publ. Conſiliario & Archiatro Ducali Saxon. Medic. Duc. Prouinc. Saxo-Vinarienſ. & Academ. h. t. Pro-Rectori;

DN. GEORG. WOLFFGANGO WEDELIO,

Hereditar. in Schwartza, Medic. Doct. Comiti Palat. Cæſ. Sacr. Cæſar. & Cathol. Maieſt. ac Sereniſſ. Saxon. Ducum Conſiliario, Vinarienſi Aulico, & Archiatro, Praxeos & Chimiæ Prof. P. O. Totius Acad. & Facult. Med. Seniori;

DN. IO. HADRIANO SLEVOGTIO,

Hereditar. in Ober-Roßla, Medic. Doct. Anatomiæ, Chirurgiæ ac Botanices Profeſſ. Publ. itemque Medic. Ducal. Prouincial. & Facultat. Medicæ h. t. Decano;

DN. IOANNI LUCÆ RHIEMIO,

Medic. Doctori, Conſiliario & Archiatro Ducali Saxon. & Medico Prouinciali Saxo-Coburgiaco;

*PATRONIS, EUERGETIS, PRÆCEPTORIBUS, PROMOTORIBUS AC PATRUO*

Omni mentis pietate, gratitudine ac cultu ad cineres vſque maxime deuenerandis

*Hanc Diſſertationem Inauguralem*

In deuinctiſſimi ac obſeruantiſſimi animi teſſeram

D. D. D.

IO. CHRISTOPHORUS RHIEMIUS.

J. J!

# PROOEMIVM.

NAturam ſcrutandam eſſe, & in huius arcanis rimandum æternum Numen, nemo forſitan negauerit, qui ſe Hominem ad inſtar diuinæ mentis conditum meminerit. Emiſſi enim incolæ terrarum in hunc mundum ſumus tanquam in Academiam, vt diſcendo conſeneſcamus & ſenescendo discamus; egregie pronunciat Illuſtr. WEDELIVS, Præceptor meus æternum deuenerandus. Maxime omnium vero humanam, Medico præſertim, perueſtigandam eſſe, quis eſt, qui contrariari ſibi præſumat; hanc, inquam, ceu primarium, imo vnicum ſacræ Hygieiæ fundamentum, nunquam ſatis exhauriendum diligentiſſimis etiam ac curioſiſſimis eiusdem ruſpatoribus. Plurima enim in Arte medica vti cognitu, ita & curatu neceſſario difficilia toto die exercitatiſſimis etiam ac expertiſſimis obueniunt Medicis, id quod ab ipſa experientia, omnium rerum magiſtra, edocemur quam abundiſſime.

Vt enim taceamus innumeras hypotheſes in ſingulis Medicinæ partibus dubias, & vel vnicam circulationis genuinam laudemus rationem, hanc certe tantum non omnino ignoratam ac penitus neglectam teſtantur plures incongruæ explicationes plurimorum caſuum medicorum, conſenſum partium pro fundamento habentium, & inprimis v. gr. capitis c. infimo ventre, imo artubus extremis & vice verſa, quorum plena ſunt obſeruationum volumina.

Maxime vero omnium optimæ circulationi, ſi non omni-

no contrariari Auctoribus medicis plerisque, ſaltem quam difficillime vna cum ipſa ſtare poſſe viſæ ſunt conſpirationes partium in ſpecie harum, illarum, vel alterius tantum lateris, altero parum vel plane non in conſortium ſimul vocato.

Adeoque pars ad latebras occultas confugit,& vias quæſiuit incognitas, pars peculiares ſibi finxit portatores, pars ſibi ipſi diffidens τὸ ἐπέχειν eligere maluit.

Verum, res ipſa vti eſt certiſſima, & quotidianæ experientiæ obuia, ratio autem eius pluribus difficultatibus maxime intricata, huius tamen cognitio vtiliſſima, imo in Praxi clinica bene exercenda omnino neceſſaria eſt, ita abs re eſſe haud ſumus arbitrati, Speciminis Inauguralis loco, hanc Partium Rectitudinem intimius paulo rimari, tentaturi, an lucis quippiam, ſi non aliis, ſaltem nobismet ipſis ad caſus huiusmodi ſoluendos, & ad Praxin feliciter faciendam afferre queamus.

Arduam, fatemur, rem aggredimur atque obſcuram, ideoque magis nobis alicubi errantibus veniam promittimus,atque iuuandi fauorem ab ingenuis ſtudiorum æſtimatoribus, ſemper diſcere cupientes a meliora docentibus, veritatique, quam vnice, tanquam antiquiſſimam, ſi non conſequamur, ſedulo tamen proſequimur, propiora. Alma igitur & S. S. Veritas, & Medicus omnium abſolutisſimus auſus noſtros feliciter pergere iubeat clementiſſime!

## *Caput I. Tradens Explicationem Nominis & Rei, & Inſtituti rationem ſimul indicans.*

SI nomina, teſte Platone, ſunt veluti eſſentiarum vehicula, & quædam excogitatæ rei declarationes, ea inprimis perſpicua reddi debere, certum eſt: Hinc nos quoque in nomine, ſeu titulo Diſſertationi præfixo explanando ſollicitos eſſe, noſtrarum ducimus partium, præſertim, cum noſtra eius ſigni-

ſignificatio vix ac ne vix quidem ex vulgaribus Lexicis conſtet, in medicis autem valde exiſtat homonymum, dum accipitur pro naturali partium ſitu, pro recto tramite, recta via, pro directione, delatione, acceſſu, procesſione, æqualitate, continuatione, &c. non aliter, ac vox græca ἴξις (ab ἰκνέομαι venio,) Hippocrati vſitatisſima, & ſoli fere propria, quæ εὐθυωρίαν, φορὰν, ἄφιξιν, συνέχειαν, ἰσότητα &c. denotat, obſeruantibus Galeno, Erotiano, aliisque Hippocr. Commentatoribus.

Quamquam autem vocabulum ἴξις omnibus his laudatis gaudeat ſignificationibus, hincque in Hippocr. Opp. ſæpisſime occurrat, attamen in peculiarem ab ipſo vſum vocatur pro Directione meatuum, per quos humorum deductiones commode fieri poſſunt, definiente Gorræo Definit. medicar. ſub voce εὐθυωρία & ἴξις ex Galeni Commentar. 3. ad Hippocr. Libr. de Fractur. & quidem, cum laudata rectitudo ſeu directio, εὐθυωρία, ἴξις, ſpectet tum ad longitudinem, tum ad latitudinem, tum etiam ad anterius & poſterius, interius & exterius, docente Galeno l. c. & per plures allegatos locos comprobante Foeſio in Oecon. Hippocr. fol. m. 174. a. ſub voce ἴξις; Specialisſime tamen corporis dimenſionem per longitudinem in partem dextram vel ſiniſtram deſignare, patet ex eadem Foeſ. Oeconom. f. m. 191. b. ſub voce κατ' ἴξιν, (ita enim Hippocr. maxime in vſum vocare conſueuit,) per multa exempla ex Hipp. ſcriptis citata. Conferatur etiam Brunon. Caſtell. renouat. p. m. 322. a & 441. b.

Vertitur autem τὸ κατ' ἴξιν ab Hippocr. Interpretibus ac Commentatoribus, e directo, ſecundum rectitudinem, directionem, & opponitur τῷ κατ' ἀνάπαλιν, ex aduerſa parte, e contrario. vid. Brunon. Caſtell. renouat. p. 44. b. Foeſ. Oecon. Hipp. f. m. 32. b. Gorræus Definit. medic. f. 34. a.

Et hic vltimus ſignificatus eſt is, quem nos potiſſimum ſub titulo intelligimus & indicatum volumus.

Rectitudinis autem vocabulum adhibere inprimis placuit, tum, quia breviſſime, inſimul tamen optime rem proponit & exhaurit, tum, quod plures habemus Anteceſſores genuinos Hipp. Genios atque Interpretes.

Clariore itaque reddito nomine, res ipſa accuratiori ſcrutationi eſt ſubiicienda. Perſpicuum autem, ſperamus, cuiuis eſſe poteſt, nobis neutiquam nunc ſermonem fore de omnium vniuerſaliſſimo illo occultoque commercio, deque diſtantium rerum cognatione naturali, cuius ipſe Cicero aliquoties meminit. Neque de mutua illa ſympathia, quæ ſæpius viſitur & obſeruatur inter mineralia, vegetabilia, animalia & ipſos homines ad inuicem, cuiusmodi mirandi caſus paſſim, & inprimis etiam, (vt has vnice laudemus,) in Ephemeridibus Natur. Curioſ. copioſe legendi occurrunt. Neque de ſingulari plane illo matris & fœtus in vtero conſenſu, cuius itidem notatu dignæ recenſentur obſeruationes in Ephemer. Nat. Cur. vt alia taceam Obſeru. volumina. Neque etiam de curationibus vulnerum v. gr. per puluerem aut vnguentum ſympatheticum, vel aliorum morborum alia quacunque ratione ſympathetica factis & ſuſcipiendis, de quibus apud Digbæum, Ratray, aliosque plures. Neque denique de conſenſu illo partium corporis ad inuicem, inprimis faciei ad reliquos artus & truncum, quem Proportionem vel Symmetriam potius dixerimus, cuius multa leguntur obſeruata apud Nat. Cur. aliosque Auctores, cuiusque tractationem ex profeſſo ſuſceperunt Septalius Libr. de Nævis & Elsholtzius in Anthropometria. Sed vnice atque ſolum de conſenſu viſcerum ac partium hominis, & in ſpecie, cuius gratia illius tractatio neceſſario præmitti debebat, de eo, qui in vno tantum latere contingit, ſeu, vt termino Hippocratico eloquar; qui fit καθ' ἴξιν, καθ' ἰθὺ vel ἰθὺ, ſeu ἐυθυωρίαν, e directo,

cto, ſecundum rectitudinem, hancque non artuum ac membrorum externorum, quorum ἰθυωρία ſeu διόρθωσις in luxationibus, fracturis, incuruationibus &c. curæ cordique habenda, vt fiant κατὰ φύσιν, & ad Chirurgiam ſpectat, ideoque ab Hippocr. ſæpius conſideranda & obſeruanda præcipitur in Libr. de Officin. Chirurg. de Fracturis, de Articulis aliisque; Verum internam & abſconditam, magis ex vaſorum & fibrarum mutua cognatione & communicatione deducendam, quæ vtique diligentiorem ſui poſtulat ſcrutationem.

At vero non rectiore ac meliore via incedere ac progredi nos poſſe, rati ſumus, quam luſtrando primo Conſenſum & ſympathiam partium in genere, & deinde Rectitudinem noſtram in ſpecie conſiderando, vtriusque primum τὸ ὅτι per adducta ex Auctoribus exempla probare, & poſtea demum τὸ διότι ſeu rationem formalem enucleare, atque planam ſubiungere, omnibus allaboremus viribus, quibus tandem annectemus Problematum quorundam huc maxime facientium ſolutionem ac declarationem.

*Caput II. Probans Conſenſum partium in genere per Obſeruationes & Exempla ex Phyſiologicis & præcipue ex Pathologicis, Semioticis, a Juuantibus atque Nocentibus deprompta.*

CVm veritas vna ſit & indiuidua, errores vero multi ac pene innumeri, hi autem ipſi ex Phantaſia inprimis ortum ſuum deducant, & illa per ſenſus maxime & experientiam ſeſe prodat æque ac probet, ideo ſenſus fidos, conſtantesque ac indubias obſeruationes omnium ponenda eſſe fundamenta, cuilibet cum ratione conueniens fore, exiſtimamus, quare & nos in præſenti optime faciemus, ſi ab exemplis & obſeruationibus quotidianis atque certiſſimis tractationem exordiamur.

Verum enim vero, minime omnes, quotquot poſteritati

traditæ

traditæ ſunt, probatæ licet fidei, in medium proferemus, cum nec locus nec tempus ſufficiat, ſed paucas modo quasdam ſeligemus.

Succincte, inſimul tamen & elegantiſſime, vti in omnibus, ita etiam in Libr. de Alimentis IV. 24. diuinus ille Senex, maximus Artis noſtræ Atlas, mirandam corporis, humani fabricam conſiderans, ξύρροιαν μίαν, ξύμπνοιαν μίαν, ξυμπάθεα πάντα, vnum confluxum, vnam conſpirationem & conſentientia omnia in illa obſeruari, & paulo poſt, μίαν φύσιν, εἶναι καὶ μὴ εἶναι, vnam naturam, eſſe & non eſſe reperiri, pronunciat. Et ſane tantum abeſt, vt in dubium vocari hoc queat, vt potius per ſenſus, rationem & experientiam in nobismet ipſis idem confirmare cogamur omnes; idque non tantum quoad actiones humanas, ſed & animales, & inprimis vitales, tum ſecundum tum præter naturam; quod optime certe iterum in compendio docet Hippocr. Libr. de Loc. in Hom. III. n. 5-9.

Dignum tamen, vt memoretur eſt, longe clarius & accuratius attendi ac dignoſci poſſe huius illiusve partis ſpecialis conſenſus in ſtatu p. n. & morboſo, quam in naturali & ſano, cum hic omnia decenter & æqualiter fiant, ibi vero corporis noſtri mechaniſmo & organismo magis minusue turbato, omnes actiones & motus fortiores ac impetuoſiores fiant, indeque propior partium cognatio melius pateat.

Firmo itaque ſtat talo, & præter dicta per experientiam quoque conſtat, dari communicationes tam generales, quam ſpeciales; ſic nemo inficiabitur, cuiuslibet ventris contenta immediate quaſi & proxime ad inuicem mala ſua communicare, mediate vero & quaſi e longinquo, quando ab vno ad alterum vel tertium quoque morbi fit progreſſio, imo quando ventres & artus mutuo compatiuntur, vti inprimis videre eſt in ſucceſſionibus morborum, nec non in excretionibus maxime criticis, ab Auctoribus vbique notatis.

Multi-

Multiplicem hanc ſympathiæ varietatem vlterius probantes, exempla aliqua tam ex Hippocrate, qui innumeris pene locis aphoriſticis eandem teſtatur atque confirmat, v. gr. vt vel aliquod nominem libros, in ipſis Aphoriſmis, in Libr. de Loc. in Hom. de Criſibus, in Prognoſticis, Prorrheticis, Coacis, Epidemiis, & tantum non vbiuis, quam ex aliis Medicis, qui Hiſtorias morborum & obſeruationes conſignarunt, in medium producemus.

Ita celebratiſſimus noſter Cous de Conſenſu in genere mox ab initio Libri de Loc. in Hom. II. n. 1. dicit: Corporis ſingulæ partes altera alteri, vbi hinc aut illinc proceſſerit, morbum facit, venter capiti, caput carnibus & ventri, & reliquæ omnes iuxta eandem rationem, & ſic porro, tandemque n. 10. & 11. finit. Si vero ad aliam aliquam partem incubuerit, illi ipſi morbum facit, ita etiam reliquæ partes, altera alteri morbum inducit.

Cerebri in ſpecie cum omnibus partibus concentum indicat Libr. de Glandulis IX. Apoplexiam definiendo n. 4. 5. ὁ ἐγκέφαλος σπᾶται καὶ ἕλκει ὅλον ἄνθρωπον, Cerebrum conuellit ac trahit totum hominem. Idem docent Paralyſes omnis generis ab Apoplexia, ſiquidem leuior fuerit, ortæ particulares annotatæ a Wepfero in Hiſt. & Exercit. de Apopl. Piſone, Foreſto, Scholz. Mercurial. Poter. aliisque.

Epilepticos ſi ſpectemus, conſiderando tum affectus, cauſas & partes, a quibus excitantur & fouentur, tum quoque modum, vt & ſymptomata, quæ Epilepſiam concomitantur, quæque eam conſequuntur, partesque, quæ ſimul afficiuntur, ſane, hi ſoli conſenſus mirandi quam plurima præbent teſtimonia, nosque de certitudine ſympathiæ cerebri atque neruorum cum omnibus ac ſingulis corporis partibus vberrime conuincunt, de quibus egregia annotarunt plurimi Auctores medici a Morono in Directorio medico laudati, & Naturæ Curioſi in Ephemeridibus obſeruatores, qui vel ſoli ſufficiunt.

In specie mirari conuenit illos motus vix satis rimandos aut explicandos conuulsiuos, quorum insultus ægris ab aura seu vapore calidiore vel frigidiore, a certo corporis membro, definitaque huius parte ad cerebrum hac vel illa ratione, tardius, celerius ascendente oriri putantur, de quibus Galenus, Marcell. Donatus, Epiphan. Plater. Naturæ Curiosi plures, aliique.

Porro capitis cum reliquis visceribus & artubus mutuam conspirationem confirmant nobis Phrenitides aliæque eius affe- ctiones cum pectore, pulmonibus, ventriculo, intestinis, hepate, liene, renibus, vtero &c. in quæ critice decumbunt ac terminantur; conf. Hipp. V. Aph. 56. VI. 21. VII. 5. II. Coac. I. 13. I. de morbb. II. 16. & passim alibi, Forest. Ballon. Thoner. aliosque. In dolor. capitis ab vtero id potissimum notatu dignum est, quod, vti a stomacho anterior maxime pars occupatur, ita cum eo occiput magis, inprimis autem vertex adeo consentiat, vt feminæ hystericæ heic dolorem & frigoris sensum patiantur, vt etiam hoc affectus hysterici signum præcipuum euadat diagnosticum, notante post alios impr. Bagliuio Prax. Med. L. I. Conf. Thoner. Lang. in Epist. Roderic. a Castr. Ephemerid. N. C. Capite vulneratis aliquando abscessus fit in hepate, obseru. Wolff. L. I. Obs. Chirurg. 8. Curiosum est, neruorum morbos plerumque per vrinam curari ex Eph. N. C. Dec. III. Ann. 3. p. 204. Pedum balneationes in aqua tepida hora somni optimæ sunt in capitis doloribus, grauedine, &c. testantibus Bagliu. Pr. Med. & de Fibra motr. & Eph. N. C.

In faciei morbis purgantia omnem paginam absoluere, & guttas rosaceas aliasque morbosas faciei rubedines, irritis aliis cauterium cruribus affixum sanare perhibet Mercurial. L. de decorat. probatque Bagliu. præeunte Hippocr.

Labri inferioris tremor signum prognosticum dat vomitus. Lingua nigra existens fere semper post se delirium trahit teste Bagliu, a spirituum caliditate iuxta Hippocr. de Affection.

XI. 2. vt hinc Idem L. III. de morb. XXI. 25, etiam in vnaquaque Pleuritide linguam confiderare iubeat, cum, fi tota lingua alba fit & afpera, ambæ partes pulmonis fint inflammatæ, fi medietas linguæ, ea pulmonis pars ægrotet, & fic porro. Balbos ab alui profluuio quam maxime corripi, habet Senex nofter Aphor. VI. 32.

Notiffima eft Anginæ in Pleuritidem, huiusque in Peripneumoniam conuerfio, cuius fæpius meminit Cous Aph. V. 10. II. de morbb. XXVII. 15-17. Id. de glandd. XII. 45. dicit, mulieres mamma ablata raucefcere & vocem grauem acquirere, it. mammas in grauiditate turgefcere, a partu crebriori flaccefcere, de Nat. pueri XLIII. 16. nec non Aph. V. 37. 38. & II. Epid. I. 42. Abortientium mammas graciles fieri, & n. 43. tuffes diuturnas, vbi teftis intumuerit, ceffare, & n. 44. teftis tumorem a tuffi ceffare & alleuiari; quæ res, Ipfe optime pergit, nos commonefacit communionis pectorum, mammarum, genituræ, vocis; Vnde etiam naturam fequens, Mulieribus, vt menfis fiftas, cucurbitam maximam ad mammas affigere iubet Aph. V. 50. II. Epid. VI. 33. conf. Schenk. Bagliu. Eph. N. C.

Ex mutuo commercio fit, quod pus pleuriticorum per renes purgetur; afthma ceffet fuperueniente dyfuria, & hac derepente ceffante denuo afthma fequatur, atque cum his arthritis ad inuicem commutetur, obferuante Bagliu. item quod in inflammationibus & vomica pulmonum tumores & abfceffus ad aures & pedes cum bono euentu fiant, docente Hipp. Prænotion. XVIII. 1. 13-16. Coac. III. 167. vt & II. Epid. V. 23. Quibus tuffis ficca eft, his non foluitur, nifi dolor fortis ad coxas, aut ad crura, aut ad teftem irruat. Quis ideo tam infignem thoracis cum glandd. parotidibus, renibus & cruribus confenfum perfpiciens, naturam alias præeuntem, interdum vero errantem, cunctantem aut fuccumbentem, in morbis pectoris, afthmate, pleuritide &c. non duceret ad vrinæ vias, & cum Capiuaccio, Bagliu. aliisque, non cruribus vftiones & veficatoria applicaret. Vid.

Bagliu. Pr. Med. Libr. I. & II. pluribus locis, & Diss. de Vesicantium vsu. it. Ephem. N.C. conf. & Schenk. Hildan. Borell. Amat. & Zacut. Lusitani, aliique plures.

Ventriculi cognatio cum capite cerebroque propinqua admodum est; illo enim læsa fit vomitus, hocque ingruente fit vertigo. Ventriculi & intestinorum, inprimis coli connexio cum renibus facit, vt fiat colica & vomitus nephriticus, vt etiam vomitus continuus & dolor fixus in regione renum præcipuum sit calculi renalis signum. Sic lacessitis & compressis a calculo renum neruis lumbaribus, in consensum trahi crura, vt dolore, stupore & δυσκινησία afficiantur, etiam in vulgus notum est. Hypochondria dura, tumida, dolorosa dant hæmorrhagiam in supernis, ait multiplici experientia edoctus Cous Prænot. VI. 15. Hepatis latentem vomicam intolerabiles cruris aut suræ dolores nullis mediis cedentes attulisse per sectionem, expertus est Holler. Comm. 2. ad L. 2. Coac. Hipp. fol. 348. idem testantibus Iacotio in Coac. Hipp. & Bauhin. in Obs. & Tabb. anat. ap. Bagliu. Pr. Med. L. II. C. 9. §. 12. Schenkio fol. 451. ap. Wolff. Obs. Chir. p. 31. & abscessu femoris solutum esse scirrhum hepatis constat ex Eph. N. C. Dec. III. Ann. 2. Obs. 56. Aluo liquida frigescere venerem, & sicca lætari, veneremque nimiam aluum exsiccare, notat Bagliu. Pr. Med. L. I.

Dolores ventris & diarrhoeas inconsuetis excitari ab ambulatione super pauimentum frigidum nudis pedibus, his autem calefactis iterum desinere, quotidianæ est experientiæ. Dolorem colicum mutari in arthriticum, huncque colica aut diarrhoea aut dysenteria superueniente solvi, hæcque ad inuicem conuerti, & diarrhoeas diuturnas, irritis aliis, promtissime sanari, vidit & annotauit Bagliu. Pr. Med. L. I. de Colica, præeunte Hippocr. II. Prædictor. XV. per totum, & VI. Epidem. III. 1. hinc clare patere arbitramur, ventris & extremorum, imo totius peripheriæ seu cutis communicationem.

 Hæ-

Hæmorrhoides ſuppreſſas aut nimium fluentes, vel ſexcenta ſympathiæ ſchemata ſiſtere, notum eſt ex obſeruationibus ferme innumeris, quas apud Auctores medicos videre eſt. Sic mirum caſum, quem allegare dignum cenſemus, narrat Bagliu. Pr. Med. L. I. c. 13. §. 7. Viri, in medio pectoris tumorem durum & prominentem habentis, ab erumpentibus vero hæmorrhoidibus ſtatim ſanati, Eundemque ab hæmorrh. ſuppreſſis ſæpe correptum fuiſſe tumefactionibus rubris in digitis manuum, euaneſcentibus ab apparente fluxu.

Dolorem in locis infernis fortem, ſurditas ſoluit, itemque ſanguis multus e naribus erumpens, vt tradit Hipp. II. Epid. V. 9. De Sympathia pedum cum capite, muſculis laryngis, auris, corde, pulmonibus, inteſtinis &c. ſcripſit Hildan. in Opp. & iam antea ſæpius facta eſt mentio, pluraque apud Auctores Medicos proſtant loca. Podagram ſiue arthritidem fere ſemper incipere a pollice pedis, reliquit Bagliu. P. M. L. I. Ex vlceribus pedum ſanatis plures morbos ortum traxiſſe ſuum, & plures quoque in hæc abiiſſe, hisque factis ſanatos eſſe, conſtat ex copioſis Medicorum obſeruationibus vbique notatis.

Hæc omnia autem ob cognationem quandam partium, coniunctionem viarum, ac communicationem humorum fieri oportere, latere poteſt neminem.

## *Caput III. Confirmans ex iisdem fontibus conſenſum partium in ſpecie ſecundum rectitudinem.*

GEnerali igitur & indeterminato magis corporis conſenſu, per exempla ſatis ſuperque, vti confidimus, confirmato ac certitudini tradito, prona nunc rectaque via ad ſpecialem, & lateralem magis, ſeu, vt verbo dicamus, ad Rectitudinem noſtram progrediemur. Non maior autem in hac quoque per obſeruationes phyſicas & medicas, teſtium loco adhibendas, corroboranda requiretur labor, cum itidem tantum non infiniti vndi-

que nobis occurrant morbi, qui eam conſpiciendam præbeant, quorumque partim antecedentia, partim concomitantia, partim etiam conſequentia eandem luculentiſſime nobis demonſtrent.

In vulgus notum eſt, manum, brachium totamque eam corporis dimidiam partem, quæ per fortiores motus maioresque labores ſæpius exercetur, non promtiorem & agiliorem modo, ſed & robuſtiorem ac firmiorem multo reddi, vti inprimis videre eſt in iis, qui exercitio pugillatorio operam dant, vel pilæ quoque luſoriæ pulſu & iactatione delectantur: hinc quoque fit, vt in omnibus ferme hominibus membra dextri lateris promptiora, & fortiora, vt & maiora ſint, vtpote quibus ab ineunte ætate maxime vti ordinarie conſueſcimus.

Sic omnibus vel medicina initiatis cognitum eſt, Apoplexiam, & catarrhos apoplecticos, prout vel fortiores paulo vel leniores fuerint ſequi, ceu vmbra corpus, vtplurimum vel Paraplexiam vel Hemiplexiam, vel Paralyſin particularem membrorum huius vel illius lateris; quod aliquoties vidimus; Caſuum eiusmodi plurium traditorum Auctores cui videre placeat, adeat Moroni Director. Med. Eph. N. C. aliosque. Hemiplegiam paroxyſmo febrili vehementi ſubito ſublatam & in latus ſanum translatam obſeruauit Decker Exercit. Pract. ap. Wolff. LI. Obſ. chir. 4. Lateris ſiniſtri paraplegiam, dextrique lateris conuulſiones notauit in febre petechiali Bartholin. Cent. 4 Obſ. 3.

Laudanda hic omnino veniunt genera ſpasmorum v. gr. Emproſthotoni, Opiſthotoni, torſiones ad alterutrum latus &c. ap. Amat. Cardan. Foreſt. Plater. aliosque, it. in Ephem. N. C. nec non tremorum, motuum conuulſiuorum & Epilepſiarum alterius tantum corporis medietatis, cuiusmodi plura leguntur in Medicorum voluminibus a Moron. in Direct. med. collectorum, aliorumque recentiorum in Ephem. N. C. &c.

Ean-

Eandem Euthyoriam docent defluxiones catarrhales, dolores hemicranici & totius interdum lateris e directo respondentis, per consensum ab hepate in dextro, & a liene in sinistro latere; cuiusmodi haud vice simplici nobis obuenerunt exempla. Hemicraniam lateris e directo a nephritide habet Bagliu. de fibr. motr. L. I. Conf. Miscellan. Consilia & Obseruat. variorum Auctorum a Moron. l. c. laudatorum, aliosque.

Consensum κατ' ἴξιν egregie monstrant Variolæ, (quæ a nobis in puero quinquenni ob hereditariam dispositionem plurimas iamiam passiones nephriticas experto, & sub variolarum etiam eruptionem sentiente, longe copiosiores in sinistro, quam dextro latere visæ sunt, vbi & id verum mihi factum, quod nephritis sinistrum vtplurimum renem afficiat, vnde & totum latus e directo simul in consensum tractum est.) Morbilli, Scabies, Arthritis vnius tantum lateris ap. Bechlin. Obs. p. 342. & Ettmull. Icterus dimidii corporis a D. D. Behrens notatus Ephem. N. C. Cent. III. & IV. Obs. 64. Calor, rubedo, sudor, (qui nec nobis incognitus est,) dimidii tantum corporis, vt & atrophia, & hydrops accuratissime limites medias obseruans, porrigo dimidiæ faciei periodica a mensium suppress. Erysipelas faciei a sinistro latere incipiens & in dextrum serpens, febris quotidiana particularis brachii dextri tantum, &c. quorum & similium casuum multiplex commemoratio fit in Eph. N. C. & alibi.

Eundem inculcauit Senex medicinæ Pater, vti alias sæpissime, ita in specie etiam II. Epidem. VI. 32. dicens; plurimam vim habet mamma dextra, oculus dexter, & quæ infra sunt hac parte: Et dextra dextris, sinistra sinistris adeo ὁμόφυλα καὶ ἐυπρόσφυλα esse multiplici experientia ipse confirmatus, nos quoque docuit, quod omnes decubitus & succedentes humorum excretiones, supra, infra κατ' ἀνάπαλιν malæ, κατ' ἴξιν vero bonæ sint, sic I. Prædict. XVIII. 23. & Coac. III. 30. 31. sanguinis eruptiones e contrario malas pronunciat, cum alias hepatis atque

que lienis inflammationes per hæmorrhagias narium e directo critice terminentur. Conf. Sorbait Med. Pr. Tr. I. C. 28. & Ballon. Epid. 170. Sic notum eſt de Herophonte ap. Hippocr. quod ipſi lien intumuerit, inde bubo ſiniſter, mox vero in crure κατ' ἴξιν abſceſſu facto, præter ſpem conualuerit: Par ratio eſt materiæ peccantis a parte ignobiliore in nobiliorem ſecundum directionem cum malo tamen euentu retrocedentis, quod obſeruauit Hildan. Obſ. Med. Chir. Cent. 3. Obſ. 39. in ſanato cruris ſiniſtri inueterato vlcere, pleuritidem in ſiniſtro latere poſt aliquot menſes inducente, qua durante æger talia exſpuit, qualia antea ex vlcere pedis excernebantur; vt taceamus exempla alia huius generis hinc inde data plura.

In Pleuritide & Calculo renum pulſum manus e directo lateris & renis affecti minorem eſſe ac depreſſiorem, quam e contrario, teſtatur Bagliu. L. I. de Fibr. motr. qui ibid. & alibi refert, quod Aneurisma internum formicationem, torporem & motus impotentiam in partibus, quibus proſpicit, e directo reſpondentibus producat.

Venæſectionibus, cucurbitulis ſiccis & ſcarificatis, veſicatoriis, balneis, &c. plurimas fieri e directo ad pedes deriuationes, toto die comperimus, vt adeo multos Auctores teſtes conuocare haud indigeat.

Quid? quod & poſt mortem eiusmodi ἴξις obſeruata legatur in Eph. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 84. vbi in mulieris latere ſiniſtro venarum ramificationes altero poſt obitum die eleganter delineatæ & colore purpureo ſuffuſæ conſpectæ ſunt, latere dextro & facie grato pallore prædito.

Non itaque mirandum, diuinum illum Coum vti in genere Naturæ, ita neceſſario quoque Rectitudinis noſtræ obſeruatorem diligentiſſimum ac curioſiſſimum hanc ipſam nobis quam optime commendaſſe, imo frequenter admodum inculcaſſe, vti v. gr. apparet ex VI. Epidem. II. fere per totam, ne

alios

alios quam plurimos laudemus locos: Hinc etiam magnopere deprædicandi ſunt, qui ceu genuini huius Medicinæ Parentis Soboles hæreditatem ſibi relictam adaugere & poſteritati tradere ſtuduerunt. De quibus ampliſſimam diſſerendi haberemus occaſionem, niſi breuitatem ſequi iuberemur; ſtatim itaque nos ad τὸ Rectitudinis διότι perpendendum conuertimus.

## *Caput IV. Tractans fundamenta, quibus nititur conſenſus partium in genere.*

PLanum autem hoc vix reddi poterit, ſi naturalis maxime ſtatus, quippe qui optime deſcribitur & exprimitur per confluxum vnum, conſpirationem vnam, quodque inibi conſentientia ſint omnia, vti ſuperius iam ex diuino Sene adduximus, non præmittantur fundamenta.

Conſtat autem ex Mechanicis, ad omnem motum tria potiſſimum requiri neceſſaria, nim. Vim & Potentiam mouentem, Corpus & Obiectum mouendum, & Machinam ſeu Inſtrumentum, quo mediante corpus a vi in motum agitur. Hæc ſi nobiscum, vel etiam cum omnibus animalibus brutis conferre libeat, cuncta, licet infinitum quantum nobiliora ac perfectiora, reperiuntur, quæ ſingula ſpecialem conſiderationem poſtulant.

Eſſentiales vero machinæ noſtræ vitalis (ita elegantiſſime & exactiſſime corpus noſtrum deſcribit Illuſtr. WEDELIVS Phyſiolog. reformat. cap. X.) partes, quid obſtat, quo minus (non reiicientes quidem illam Phyſicam in ſolidas & fluidas diſtinctionem, ceu generaliſſimam) in præſenti, mechanica magis incedentes via, cum Hippocrate dicamus Continentes, Contentas & Impetum facientes, ſub his ſeu ſpiritibus intelligendo potentiam mouentem, ſub iis ſeu humoribus corpus mouendum,

& ſub iſtis ſeu vaſis inſtrumenta, quibus mediantibus exercetur motus & per conſequens ipſa vita ſeruatur.

Totam corporis noſtri fabricam nil niſi vnam & continuam quaſi vaſorum ac tubulorum variorum compagem eſſe pro commouendis, circulandis, ſecernendis & excipiendis tam varii generis hnmoribus aptam, apud exercitatiſſimos & accuratiſſimos quosque Anatomicos & Phyſiologos tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Vaſa autem hæc (ratione ſubſtantiæ, originis, officii & materiæ contentæ) duplicia potisſimum nominemus, alia fluido magis minusue craſſo, alia ſubtilisſimo vehendo dicata, nempe Sanguinea (ſub quibus facile reliquorum etiam humorum vaſa intelligere licebit) & Neruina; quæ vtraque innata quaſi ſua vi atque potentia, ſuoque tono ac robore gaudere, ſicque non tantum idonea eſſe ad fluida continenda, ſed &, quod magis eſt, ad eadem plus vltra promouenda, inter omnes conſtat.

Omnes vero, quibus hanc vim ab effectu intimius paulo perſpicere datum fuit, minus certe debito ſolliciti fuerunt de adæquata eiusdem cauſa, contenti vel nuda elaſticitatis, toni, niſus ac reniſus, motus oſcillatorii, contractilitatis & extenſilitatis &c. appellatione, qua totam rem ſufficienter explanatam putarunt, parum curantes, quæ huius ipſius elaſticitatis, toni &c. &c. ſit cauſa, quæque ratio formalis. Noſtram ſi exponere licet mentem, proxime ad rei veritatem acceſſiſſe nobis videmur, ſi eam non aliunde ortum ducere aſſeramus, quam a materia quadam ſubtiliſſima, & ad motum quam facillime ineundum & continuandum aptiſſima, in vaſorum vaſculis minoribus, minimis, ſecreta & comprehenſa, quam ſiue naturam, ſiue animam, ſiue archeum, ſiue luculam, ignem, ſpiritus vitales, elaterem, ætherem, fluidum & ſuccum neruoſum, ſiue vtcunque ſalutare placeat, nobis perinde erit, facileque concedimus.

Neque

Neque curemus multum illam inter Bagliuium,(cum quo ſentit Pacchionus) & Thomſonum, Ridleium aliosque agitatam controuerſiam, vtrum meningi duræ hic motus ſit concedendus proprius, ex ſtructura eius muſculari oriundus, an vero ab ipſo cordis pulſu per magnas & multas arterias communicato proueniat, neque reniſum ac contractionem vaſorum etiam exiliſſimorum, cui alii omnem in toto tradunt prouinciam, cum ſemper primarium vrgendum veniat κρινόμενον, modo nobis, mutuum confluxum, mutuam conſpirationem, mutuumque adiutorium in toto noſtro corpore, ceu fundamentum agnoſcentibus, id ſtatuere liceat, quod per neruos proxime cum omnibus viſceribus & vaſis communicetur, & per expanſiones neruoſas, tenuiſſimas quoque, ad quascunque partes proueniat, atque per harum intima diſtribuatur, vti e contraria parte ipſi hi ſpiritus, hoc liquidum neruoſum, hæc materia elaſtica non niſi a M. S. per cordis preſſionem & pulſum ad cerebrum delata ſecernitur & ob motum communicatum & continuatum fibrarum vlterius promouetur.

Plures nobis difficultates circa neruos ac ſpiritus mouet & contrarium ſtatuentes acriter perſtringit Bidloo Exercitat. Anatom. Chirurgic. I. & X. non tamen ipſe maiorem apud Phyſiologos & Medicos meretur aſſenſum, vtpote multiplici experientia in ſtatu naturali æque, ac p. n. ipſi contradicente. Hinc nos quoque plurimis Clariſſimis Phyſiologis, neruos fluido cuidam ſubtilisſimo, vtcunque tandem illud nomines, omnino peruios eſſe ad tonum fibrarum, hincq; motum ſenſumque vniuerſi debite conſeruandum, ſtatuentibus album adiicimus, eosque certis a Vieuſſenio, Ruyſchio aliisque circa cerebri ſubſtantiam inſtitutis experimentis conuicti cum Blancardo & Hoffmanno vocamus Cannas, cum cannæ Indicæ fibrarum ductu, interſtitiorumque ordine propinqua ſimilitudine accedant. Ipſis adeo-

que, vt & vaſis ſanguiferis, nec non partibus corporis noſtri fibroſis ad vnam omnibus elaſticitatem, oſcillationem, niſum ac reniſum, quodque extendi ac contrahi valeant, minime denegamus, ſed ex ſuperius dictis eo clarius deducimus, firmiusque ſtabilimus.

Quanti quanti itaque ſumus, toti componimur ex duplici laudatorum vaſorum genere, tum ipſorum, qua ſolida ſunt, & elatere prædita, ſeu fibratione oſcillatoria pollent, & mirum quantum in vniuerſum diſperguntur & expanduntur, imo tantum non cunctas (excipienda enim ſuo modo ſunt indurata & exſiccata) corporis noſtri partes ipſamet conſtituunt, tum, qua fluida in ſuis cauitatibus, ductibus atque poris continent, & ad recondita quæque Microcoſmi latibula irriganda, transfundunt.

Enim vero debite proportionata ſolidorum fluidorumque & ſarta tectaque conſeruata æquilibratione, ſuauiſſimam harmoniam & coniunctiſſimam amicitiam in conſeruando toto colunt omnia, nec dolor adeſt, nec fortiorem pars vlla patitur impetum, nec quidquam ſentitur naturæ inconſueti aut contrarii, ſed integerrima præſto eſt ſanitas.

At vero vel leuiſſimo addito alterutri ſuperpondio, ſeu alterata alicubi in minimis quoque laudata alterius proportione debita, eandem augendo vel minuendo, vel quocunque tandem modo afficiendo & irritando, ſtatim quoque vtrorumque motus fit irregularis, fibræ vaſorum & neruorum citatius vel tardius mouentur, vel plane torpidi, ſtupidi & immobiles fiunt; ſpiritus copioſiores irruunt, vel in progreſſu impediuntur, vel penitus intercipiuntur; ſanguinis & reliquorum humorum fluxus pariter vel citatur, vel inhibetur, verbo, fit ſtatus præternaturalis & morboſus, vel ſaltem diſpoſitio ad eundem.

Si

Si ergo labes huic illiue parti impressa, ad illam, vel istam partem, vel totum quoque corpus pro multiplici & indefinita plane circumstantiarum varietate deferatur atque redundet, partes vel vicinæ, vel omnes iunctim assurgunt, annituntur, ac vna concurrunt ad hostem impugnandum, vincendum, subigendum, & ex corpore, si fieri possit, penitus ejiciendum, vel ad extremos saltem terminos propellendum & fugandum; Sin vero fortior paulo sit aduersarius, aut omnino inuincibilis, pariter quidem malum annunciatur quasi partibus vicinis & sic porro, vtque auxilio vnito subveniant, quasi implorantur, neque etiam vllibi officii deseritur quidquam, sed omnes vires nervique intenduntur, incassum tamen sæpius, adeo, vt, cum oppugnando malo non sufficiat robur, id vel in conseruando solum reliquo intentum & occupatum esse oporteat, vel denique ad incitas redactum omnino succumbere ac victum se dare cogatur morti, omnium rerum termino vltimo.

Positis superioribus tanquam euidentibus, facile erit exinde colligere omnis consensus rationem; nim. stante solidorum quorumcunque perpetua continuitate, fluidorumque per eadem communicatione atque conspiratione, necessario sequitur, omnia ad eundem ductum procedere debere; id quod intendunt Physiologi ac Medici omnes, qui ad consensus nostri modum explicandum animum applicuerunt, vti videre est ex eorum scriptis, quæ inter ex recentioribus eminent Illustr. WEDELII & Bagliuii, qui in specim. Librorum de Fibra motrice & morbos. in Libr. Praxeos Med. & aliis passim eundem prolixius commendat, causasque illius tradit 1) Originem partium, 2) vicinitatem, 3) vasorum communicationem, & 4) substantiæ similitudinem & continuitatem, vnde inter omnes membranosas nostri corporis

partes incredibilia pene & captum noſtrum effugientia in operationibus corporis animati ſuccedere arbitratur. Huc adeoque fortaſſis referendi ſunt ejusmodi caſus, quorum cauſas ignorari ac incognitas aſſerunt, de quibus præter alios Rod. a Caſtro, Tract. Quæ ex quibus. aſſentiente Bartholin. Anat. reform. aliique Autores plures, quorum obſervationes occultas vias pro fundamento habent.

Attamen, omnia hæc ſi rite penſitemus, ad ſolam partium ſolidarum (vix aliquam inter ſeſe differentiam agnoſcentium, cum omnes ex fibris laxius vel ſtrictius ſaltem conjunctis conſtent,) ſeu vaſorum ſanguiferorum & neruorum continuitatem, & hinc neceſſario conſequentem humorum ac ſpirituum communicationem referre licebit, atque ex hoc fonte reliqua, ceu riuulos deriuare.

Sufficere hæcce arbitramur pro conſenſu in genere explicando, reſtat, vt etiam tentemus, quid valeant humeri, quid ferre recuſent in dilucidando Conſenſu partium ſecundum Rectitudinem noſtram in ſpecie.

## *Caput V. Exhibens ea, quæ in ſpecie ad Rectitudinem partium explicandam faciunt.*

OMne momentum in ſequentibus maxime conſiſtere haud vane auguramur, ſcil. 1) in peculiaribus neruorum cujusvis lateris ramificationibus, 2) in muſculis fibrisque muſcularibus alterutri lateri propriis, horumque tubulorum ac fibrarum ſitu, & 3) vaſorum omnis generis ſubtiliſſimorum in extrema corporis peripheria mira textura, complicatione & inoſculatione. Hæc igitur attentius conſiderare animus eſt.

Neruos quod attinet, meditemur eorum originem & pro-

progressum: Notum nim. est ex Anatomicis, quod cerebri a meningibus tenui & crassa in bina media diuisi, cincti ac firmati compages tota, quanta quanta est, componatur ex vasculis subtilissimis mire inuicem contortis ac conuolutis, emittentibus demum tubulos rectos diametri minimæ, fluidi pariter subtilissimi a sanguine per arterias carotides internas potissimum & externas aduecto secreti, ductores ac promotores fidi, qui in fasciculos congesti, & suis, quibus totum gaudebat, munimentis & inuolucris præditi per paria semper coniugati intra caput æque ad sensuum organa deriuantur, ac extra hoc ad reliquas partes progrediuntur.

Sicuti vero membranæ (siue duas statuas, siue cum Bohn. Bidloo aliisque tres, & in spinali medulla siue tres, siue quatuor dicas cum Vieussenio, parum refert, cum illic media meningis tenuis altera a plerisque putetur lamina, heicque quarta matris piæ productio ab ipso Vieussen. asseratur) cerebrum in duas partes per medium distinguentes, eiusque corticem proxime inuestientes, eundem in toto οἷον δευτέρῳ ἐγκεφάλῳ, cerebro quasi altero, seu continuato & prolongato per fistulam sacram ad extremum vsque, vbi tandem in caudam equinam, vt Anatomici vocant, desinit, seruent situm, idemque præstent officium, qui potest aliter fieri, quam ut spinalis medulla in bina dispartiatur media (idque præcipue, cum constet, substantiam ejus medullarem extrorsum ad latera magis, corticalem vero, quantilla demum sit, suis inuolucris cinctam in medio sitam esse,) quorum alterum huic, alterum alteri lateri prospiciat, & neruos ad viscera & partes vtriusque sui lateris maxime emittat in extimum tandem ambitum ac cutim terminantes.

Probe quoque notari meretur, quod testibus Veslingio, Lindano, Highmoro laudante Blasio, cerebrum (latius acceptum,

ptum, pro omni eo, quod in cranio continetur) ſicuti diuiditur in partem anteriorem & poſteriorem, ſeu in cerebrum in ſpecie dictum, (non curantes in præſenti ſtrictisſimam a Bartholin. in Controuerſ. Anatomic. traditam ſignificationem de corticali tantum ſubſtantia,) & cerebellum, ac vtrumque iterum in partem dextram & ſiniſtram, (vt adeo quatuor peculiares quaſi ſpirituum ſcaturigines, officinas & promptuaria conſtituat, ineffabilem ob id naturæ bonitatem egregie decantante Highmoro,) ita etiam ſpinalis medullæ dictæ caput, ex quadruplici conſtet trunco, enato nempe altero, qui anterior eſt, maior & in initio crasſior, ex cerebro, altero ex cerebello, qui poſterior, minor & vbique quaſi æqualis, & vtroque rurſus geminato, qui rami omnes ſuis tunicis gaudentes, communibusque poſtea connexi per omnem progrediuntur ſpinam, quæ monente Lindano, ſi induſtria accedat, ſeparatis membrana extima, omnibus communi, & matre dura, in quatuor iterum ramos disiungi poteſt. Vnde Paralyſin dextri vel ſiniſtri lateris, Emproſthotonon, Opiſthotonon aliosque complures huius commatis morbos luculentius explicatos dari poſſe, in propatulo eſt.

Nec id ſusque deque habendum, quod nos ſedulo & prolixius erudit Laurentius, quem ipſum audiemus ex Bartholin. Controverſ. anatomic. Neruorum ſpinalis medullæ, inquit, exortum & propaginem ignorarunt Anatomici, omnes volunt, a ceruicali medulla ceruicales etiam neruos, a dorſali dorſales, a lumbari lumbares tantum enaſci, ſed quam miſere hallucinentur, obſeruatio noſtra noua & hactenus inaudita conuincit: Si medullam a ſuis vertebris integram detraxeris, & eam vtraque tunica ſpoliaueris, mox in aquam coniectam aliquantulum agitaueris, videbis a ſuprema ad imam partem totam medullam innumeris ſurculis ac filamentis cau-

dæ

dæ equinæ insitam miro artificio textam, & extremos ossis sacri neruos ab eodem principio, a quo ceruicis nerui omnes scaturiunt, propagari. Hinc patet, cur læsa ceruicis medulla, pereat interdum femoris motus, illæso brachiorum & thoracis motu. Hæc ille. Id quod diligentiorem omnino meretur attentionem, cum plura huiusmodi annotata prostent Exempla v. gr. apud Bohn. Exam. vuln. lethal. qui plures quoque in hunc finem laudat Auctores, vt sunt Pigrayus, Ballon. Io. van Meekren, Ephemerid. N. C. Bonet. Pacchionius, aliique: confer. & Id. Wolff. Observ. Chirurg.

Nec parum sæpius, præter hactenus dicta, ad commodam & facilem, imo interdum momentaneam materiæ morbificæ, si extrorsum quidem vergat, non tamen ad extimam peripheriam penetrare, vel per alia excretoria exterminari valeat, delationem ab vna ad alteram, & sic consequenter a primo quasi fonte paulo remotiorem partem facere, vti in generali, ita in specie quoque in commercio laterali, musculorum, vtpote fasciculorum ex fibris nerueis & vasculosis aliis quibuscunque compactorum, situm atque connexionem, neminem latere posse putamus; cum non tantum nullus in totius machinæ nostræ vitalis partibus mediis musculus, si excipias circulares seu Sphincteres, & quasi tales, quod sciamus, existat vnicus, sed omnes sint bini & coniugati, quos Antagonistas vocant, verum etiam tam musculi ipsi recta procedant, quam omnes eorum fibræ ductum servent rectilineum, prætereaque semper cum vicinis per intermedias membranas copulentur.

Quod si tandem communia totius corporis velamenta, vt cuticulam, corpus reticulare Malpigh. cutim, membranam adiposam & carnosam seu masculosam intentioribus contemplemur oculis, quam mirifice omnia vasorum genera ex inti-

mioribus corporis penetralibus progerminata, heic inter se inuicem sint contexta, & quam variis se mutuo excipiant amplexibus, statim quoque insigne sese concordiæ nostræ, inprimis lateralis, nobis offert fundamentum.

Ut enim taceamus arterias, utpote a communi & medio vtrique lateri scaturigine promanantes, quamuis etiam, si progressum consideremus, inosculationes aliasque circumstantias, & hæ non plane nihil huc conferre videri queant; potiori tamen iure in causarum numerum recipienda erunt vasa illa minima innumera arterias inter & venas media, & vtraque coniungentia, cylindracea quibusdam a figura dicta, materiam maxime digestam, & nutritioni aptissimam cuilibet parti plurimis surculis afferentia, nec non vasa reducendo superfluo atque rudiori destinata sanguifera æque atque lymphatica, quibus cunctis nullibi non coniunctissimi & amicissimi comites sunt neruorum proles innumeri minutissimi, mirum in modum iis intertexti, & multum vigoris ac roboris conciliantes, vt hinc reuera, docente Ill. WEDEL in Patholog. med. dogmat. peculiaris in vtroque latere maxime circulatio exerceri, statuenda sit: vnde motus v. gr. naturæ quicunque, vel eruptiones quoque sanguinis in superioribus e directo hepatis aut lienis affecti, aliique huiusmodi naturæ conatus deduci quam elegantissime possunt.

Plura, fatemur, in medium essent proferenda, cum quæ huc vsque dicta sunt, generalioribus ferme tantum absoluantur, ast limitum Dissertationis memores, reliquis supersedemus, præsertim quoniam ex his, paucis licet, facili negotio cetera prolici, & per pronam consequentiam colligi posse, imo per se fluere, haud adeo diffidimus. Quæ vero ad consensus & rectitudinis declarationem specialem adhuc dum facere

videntur, abunde præter alios Anatomicos & Medicos celeberrimos & maximos inprimis in hoc labore desudasse censemus WEDEL. Bagliu. Vieussenium. Nos quod attinet, prolixiorem inquisitionem ac deductionem, si qua DEVS O. M. gratioso suo nutu adesse conatui nostro dignabitur, in posterum reseruabimus tempus.

## *Caput VI. Soluens Problemata quædam, huc maxime facientia.*

RElíquum est, vt vltimum quoque promissi nostri, quantum fieri potest, persoluamus pensum, nempe difficiliorum quorundam, & huc vsque sub lite positarum quæstionum explanationem.

Primarium autem locum merito sibi vindicant casus superius laudati Epilepsiæ, Conuulsionum, Lethargi &c. per auram veluti, & vaporem ascendentem ex certo & determinato membro, huiusque articulo inductorum; Ubi inprimis in quæstionem venit, an reuera aura ascendat ex fixo illo loco, putredine vtplurimum maligna, & quasi sphacelo infecto, dum tantum non semper (interdum enim etiam ex sanissimis extremis auræ sensum ad caput abiisse, & vel ligatura insultum epilepticum interceptum esse, obseruauit Excellentiss. Præses) origo eius a tumore, tuberculo & nodo, vel macula nigra, vel vlcere maligno, sordido &c. percepta annotetur, an vero alia subsit huius phænomeni explicandi ratio.

Sensationi eorum, qui eiusm. patiuntur, vix contradici posse, videtur omnino, cum expresse auram quasi calidam vel frigidam per hanc illamue partem hoc vel illo modo ascendentem se sentire, imo eiusdem cursum in partibus visu co-

gnoſci poſſe, pronuncient; vnde celeberrimorum virorum non pauci rem ita ſe habere ſtatuerunt.

Neque tamen & alii fundamentis ſuis deſtituuntur, auræ alicuius aſcenſum negantes, idque potius ab irritatione, vellicatione, per modum ſpaſmi, contractionis & criſpationis neruorum ad ſuam originem promota deducentes, vti patet exemplo Epilepſ. & Conuulſionum a lumbricis & vermibus inductarum, aliisque.

Omnino tamen negari poteſt neutiquam, quod vel transſudando, vel circulando aura maligna, ſeu particulæ heterogeneæ ſubtiliſſimæ ad partes vicinas deferantur, & plane ad neruorum principium pertingant; inde autem neque tam cito & fulguris ad inſtar, neque adeo ſenſibiliter a loco ad locum quaſi per lineam propagari poſſet.

Singularis quoque eſt, & præcipue animaduertenda illa conſenſus & rectitudinis ſpecies, vbi læſa, contuſa, vulnerata &c. aliqua alterius lateris parte, altera tamen ex aduerſo grauioribus, imo ſæpius truculentis ſymptomatibus afficiatur; Sic quoque in genere notum eſt, partium in corpore noſtro gemellarum alteram alterius morbo affectæ vicem ſupplere, munusque defungi. Inprimis vero inquirendum, quinam fiat, quod factis in altera parte capitis & cerebri vulneribus, contuſionibus, aliisque læſionibus, in altera tamen medietate fiant vel conuulſiones, vel paralyſes, ſeu reſolutiones, prout videre eſt apud Amat. Luſitan. Bartholin. Pareum, Bohn. Schenkium, Tulp. Ammann. Id. & I.C. Wolff. Harder. Lanciſium alioſque: Et naturæ obſeruantiſſimus Cous idem iamiam aphoriſtice tradidit de Capit. Vulner. XXVI. 3.4. quod, ſi quis in ſiniſtra capitis parte ulcus habeat, eum in dextra corporis parte conuulſio corripiat, & contra, ſi in dextra capitis vlcus habeat, in ſiniſtra conuulſio percipiatur.

De

De horum autem ſymptomatum ratione formali multnm diſputant Auctores. Quidam reſonitum in cauſa eſſe, autumant; verum, cum in craniis minus ſolidis & laxius connexis, neque in vnum quaſi ſolidum coalitis, item in iis, qui gaudent oſſiculis triquetro, & Wormianis (quale cranium oſſiculis huiusmodi ſat magnis, decem præditum ipſi poſſidemus) rarius fiant reſonitus notæ; imo exempla proſtent, vbi in aduerſa vulneri parte cranii nulla viſa eſt contrafiſſura, multo certe minus talem concedere poterimus in corpore molliori, & parum conſiſtente ac duro, quale eſt cerebrum, præſertim, cum neque cerebri hemiſphærium vulneri oppoſitum quidquam læſionis interdum obtulerit, & tamen totius huius e directo lateris reſolutio ſubſecuta ſit: Sicuti inprimis videre eſt in duobus caſubus ab Id. Wolff. obſeruatis, vbi quidem I. Chr. Wolf. ſententiam Tulpii & Glandorpii adducendo refellit, ſuamque addit, vix tamen rem exhaurientem.

Alii cum Qu. Caſſio, Chr. Langio aliisque doctiſſimis Viris Medicis a decuſſatione neruorum hoc Phænomenon deriuare malunt: At vero nerui in cerebro ſe inuicem decuſſare, (exceptis Opticis in Rana piſcatrice & Lucio piſce,) accuratiori Anatomicorum examine non reperiuntur vlli.

Quodſi itaque in tam difficili re noſtram exponere licet mentem, ita conſpicuam quodammodo fieri poſſe arbitramur, præſuppoſitis principiis firmis mechanico-vitalibus: Nimirum cum in parte vulnerata, ob coniunctam texturæ cerebri atque vaſorum læſionem, inflammationem ac deſtructionem, ſanguis in tanta quantitate, vti antea ſolebat, admitti ac recipi nequeat, hincque ad vicinam ſanam eo vehementiori impulſu, maiore-

que quantitate diuertere cogatur, oportet, vt pro reliquarum circumſtantiarum ratione, vaſa vel in motum vehementiorem agantur, indeque tota cerebri neruorumque compages mirum quantum irritetur, ac conuellatur, vel a ſanguine in maiori copia ſucceſſiue appulſo vltra modum diſtendatur, ſicque ad compreſſionem & expulſionem ſanguinis ſuperflui exercendam, ac oſcillationem in cerebrum & neruos vlterius propagandam inepta reddantur, ac proinde ob influxum ſpirituum, motumque neruorum denegatum paralyſis ſubſequatur. Patet hinc, cur reſolutio, in caſu laudati Wolffii altero, altero ſtatim die ſuperueniens ad Venæſectionem adhibitam ceſſauerit, recurrerit autem duodecimo; Vt adeoque & ſua luce fulgeat illud Coi, tum conuulſiones, tum reſolutiones fieri vel ab inanitione, vel ab impletione nimia: Egregie quoque explicari poſſunt ſymptomata Plethoræ omnis vniuerſalis æque ac partialis.

Poſſet nos facta Venæſectionis mentio ad prolixius ſui prouocare ſcrutinium, vbi conſiderandum ſeſe obiiceret, vtrum in Apoplexia omni, nec ne, & in quali maxime conueniret; an in Hemiplegia & Paraplegia ſeu Paralyſi, an non; quibus obſeruatis circumſtantiis; & an in paralytica, vel in oppoſito latere ſit inſtituenda. Quoniam vero hæc peculiarem plane expoſcunt tractationem vberiorem longe, quam quod his pagellis includere queamus, malumus penitus tacere, præſertim cum Medici longe clariſſimi & expertiſſimi hæcce iamiam ſatis dederint enucleata, verbulum ſaltem adiicientes de Venæſectione reuulſoria, quod optime factum nobis quidem videatur, ſi in eadem, vbicunque demum requiratur, ſemper attendamus directionem ſeu rectitudinem noſtram ſæpiſſime laudatam. Nam, expertum habentes, eruptiones ſanguinis ex aduerſo naturæ non

con-

conuenire,ſed malas eſſe, teſte Coo experientia ampliſſima certiſſimaque abunde confirmato, hincque, docente Eodem, quæ ducere oportet, per conuenientes locos maxime ducere oportere, & tamen ſimul enitendum eſſe, vt quam longisſime a locis, vbi dolores fieri ſolent, ac ſanguis colligi, ſecemus; ſic enim minime derepente fieri mutationem, & conſuetudinem transferri, vt ne amplius in eundem locum colligatur; ideoque Tr. de Humor. expreſſe Reuulſionem in ſupernis deorſum, in infernis ſurſum faciendam eſſe; Cur non aptisſimam & naturæ ductui conuenientisſimam ſecandi rationem ſtatuamus eam, quæ fit κατ' ἴξιν καὶ εὐθυωρίαν, attenta ſaltem regione pro re nata ſuperiore vel inferiore. Pertinet huc lis illa de Venæſectione in Pleuritide celebranda, quam ſemper in ægroto latere inſtitutam ſalutarem, ſæpeque dum ſanguis adhuc fluebat, doloris remisſionem attuliſſe, ſuis obſeruationibus repetitis certisſimus Magnif. Præſes mihi confirmauit.

Par ratio ſit eodem fine adhibitarum, Hirudinum, Cucurbitularum ſcarificatarum & non ſcarif. aliorumque huius commatis remediorum.

Occaſione Conſuetudinis modo ex diuino Hippocrate memoratæ, heic quoque exponendum eſſet, vndenam congeſtiones eiusmodi ſpeciales quaſi ordinariæ deinceps fierent vel ſemel, leuique data occaſione; item perpendenda eſſet ratio ſuccesſionum morborum, nec non morborum ſuis ætatibus propriorum, pluriumque aliorum in Praxi medica quotidianæ experientiæ ſeſe obiicientium, nec tamen ad amusſim explanatorum caſuum, procul omni dubio laudatisſimam noſtram Rectitudinem pro fundamento agnoſcentium. Verum enim

vero,

vero, quoniam magnum potius volumen adimplentem hæcce requirunt tractationem, malumus hic subsistere, quam imperfectam effutire doctrinam, satis habentes quod & aliis & nobismet ipsis plus vltra progrediendi ansam dederimus, Gratias æternas habentes DEO Ter Optimo Maximo pro huc vsque clementissime largitis, & supplices obsecrantes, velit sapientiæ gratiæque suæ flamine & porro nobis benignissime adesse, vsque dum beatissimus sequatur
vitæ

FINIS.